

indifferentem quoad specificationem et exercitium suorum actuum, si postea nunquam illa uti possit, nisi prius ab extrinseco agente determinetur. Imo hinc ulterius sequitur nunquam voluntatem operari ut indifferentem ad plura; nam idem est indifferentem esse, quod esse indeterminatum; sed nunquam operatur præexistens indeterminata, quia semper indiget prævia prædeterminatione, ut altera opinio dicit; ergo nunquam operatur indifferens. Ex quo tandem inferuntur illa duo incommoda, scilicet ut nunquam operetur ut libera, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium. Utrumque imprimis simul probatur, quia nihil aliud est potentiam esse liberam, quam esse indifferentem; si ergo nunquam operatur ut indifferens, nunquam operatur ut libera. Deinde probantur singula membra. Primum, quia voluntas solum potest aliquid operari, quatenus prædeterminata ad illud, ut contraria opinio docet; sed non prædeterminatur nisi ad unum, ut etiam supponitur; ergo illud potest solum simpliciter operari, et non alia; ergo non operatur ut potens ad plura; ergo nec ut libera ad plura; ergo nec ut libera quoad specificationem actus. Tres ultimæ consequentiæ per se evidentes sunt, supposita prima, quæ ex contraria positione videtur etiam evidens, nam aiunt voluntatem indeterminatam nihil determinatum posse operari. Nec refert sive illam prædeterminationem requirant ut principium agendi, aut ex parte hominis, aut ex parte Dei, sive tantum ut necessariam conditionem; quocumque enim modo sit necessaria ad eliciendum actum, si illa non detur, nec sit in potestate voluntatis nisi tantum passive, intelligi non potest quomodo sit in libera facultate voluntatis actum elicere ad quem non prædeterminatur. Secundum item membrum probatur argumento supra facto, quia, posita illa prædeterminatione, non est in potestate voluntatis non exercere actum, et illa prædeterminatio datur ei ab extrinseco, et sine usu libertatis; ergo actus proveniens a voluntate sic prædeterminata est illi necessarius quoad exercitium.

9. *Ledesmæ responsio confutatur.*—Et quamvis hæc ratio de auxilio efficaci latius tractanda sit, non possum hic omittere quin advertam P. Ledesmam, artic. 8, conclus. 3, illa fuisse convictum, ut diceret prædeterminationem hanc fieri non a solo Deo, sed simul etiam a voluntate; nam id existimat et necessarium ut salvetur libertas, et sufficiens, quia si prædeterminatio sit a voluntate, ipsamet

erit libera, et consequenter actus erit liber: quæ quidem responsio, quatenus efficaciam rationis a nobis factæ confitetur, si supponatur prædeterminatio in voluntate a solo Deo, nostram sententiam plurimum juvat; quatenus vero dicit prædeterminationem fieri a voluntate, non video quomodo, cum principiis illius sententiæ, vel cum fundamento ejus, imo nec cum ipso nomine et ratione prædeterminationis possit consistere.

10. *Prima confutatio.*—Primo, quia concursus prævius ponitur fieri a solo Deo, ut supra capit. 23, dub. 5, ostendi: prædeterminatio autem fit per concursum prævium juxta eandem sententiam; ergo est a solo Deo. Vel e contrario si prædeterminatio non fit a solo Deo, sed simul a voluntate, ergo non fit per concursum prævium, sed per concomitantem, nam simultaneus concursus ille est per quem Deus simul cum causa secunda operatur; ergo non datur in voluntate concursus prævius ad illam prædeterminationem efficiendam, et sic falsum est illud principium, quod prævius concursus est necessarius per se et essentialiter ad omnem efficientiam causæ secundæ. Vel si fingatur alius concursus prævius distinctus ab prædeterminatione, de illo inquiram an fiat a voluntate necne: nam si fit, procedemus in infinitum; si vero sistendum est in aliquo qui non fiat a voluntate, in illo procedet argumentum, quod ille tollet libertatem, eodem modo quo ille auctor de prædeterminatione argumentatur.

11. *Secunda confutatio Ledesmæ.*—*Tertia confutatio.*—Secundo, quia concursus prævius est principium effectivum actionis causæ secundæ, ut c. 30, dub. 10, ex sententia illorum auctorum dictum est; ergo etiam prædeterminatio est principium actus voluntatis; ergo non potest ab illa fieri. Posterior consequentia videtur evidens, quia voluntas non potest efficere principium sui actus. Prior vero probatur, quia prævius concursus et prædeterminatio idem sunt; nam posito concursu prævio in voluntate, fieri non potest quin actio sequatur, ut in universum de omni causa secunda dicti auctores docent: prædeterminatio autem nihil aliud est quam præmotio inseparabilis ab actione; sunt ergo idem in voluntate prævius concursus et prædeterminatio physica, quatenus a Deo, ut generali causa concurrente, fieri dicitur, nam de illa quæ gratiæ efficaci attribuitur alia est ratio, ut postea videbimus. Tertio in verbis involvitur repugnantia, quando prædeterminatio esse dicitur, quæ

ab ipsa voluntate fit: nam vel est prædeterminatio in actu primo, vel in actu secundo. Si in actu primo, non est a voluntate, quia voluntas non se constituit in actu primo, simpliciter loquendo, ut per se constat; ergo fit a solo Deo in voluntate ipsa, et sic tollitur libertas, ut bene dictus auctor argumentatur. Vel est determinatio in actu secundo, et tunc repugnat esse prædeterminationem, quia particula *præ* dicit antecessionem; non respectu Dei; ergo respectu voluntatis; repugnat ergo esse prædeterminationem et esse a voluntate. Et confirmatur, nam prædeterminatio ideo ponitur, ne voluntas indeterminata præexistens aliquid determinatum operetur, quod fieri non posse creditur: at si voluntas ipsa efficit prædeterminationem, ante illam non supponitur determinata; ergo existens prius natura indeterminata efficit prædeterminationem, quæ est effectus determinatus, quod est contra propria principia. Simile argumentum est, quia hæc prædeterminatio ponitur, quia causa secunda non potest movere nisi præmotâ; ergo non potest ipsa efficere suam prædeterminationem, alias efficeret illum nondum motâ, contra hypothesim.

12. *Non est necessaria prædeterminatio nisi divinus concursus conjungatur cum causa libera.*—Tertium membrum in principali ratione positum fuit quod hæc prædeterminatio putari potest necessaria propter determinationem concursus divini, quia ille concursus non potest determinari ex conjunctione causæ primæ cum causa secunda, sicut de naturalibus causis supra diximus; ergo quod Deus velit cum illa conjungi ad operandum, non satis est ad determinationem divini concursus; ergo oportet ut per divinam voluntatem solam prædeterminetur; ergo oportet ut illa determinatio præcedat, et sic ab illa prædeterminabitur voluntas, quæ ratio procedit de determinatione quoad speciem concursus; de determinatione vero quoad individuum, supra est universaliter ostensum fieri a solo Deo. Unde etiam fit consequens ut ab eodem proveniat prædeterminatio quoad exercitium, quia voluntas Dei prædeterminans talem concursum quoad speciem et individuum est efficax; ergo ponit efficaciter in re ipsa talem concursum, et consequenter secum trahit et determinat voluntatem hominis ad actum propter quem talis concursus datur.

13. *Varia divini concursus consideratio.*—*Deus offert voluntati multiplicem concursum, et non unum tantum.*—Hic vero discursus pen-

det ex difficultate tacta capite 40, ad rationem 3, ex quo decreto voluntatis divinæ procedat concursus quem Deus præbet voluntati creatæ ad libere operandum, de quo puncto dicam commodius paulo post, cap. 43, tractando de concursu ad actum, qui est peccatum. Nunc enim breviter adverto concursum Dei dupliciter considerari posse, scilicet, vel quasi in actu primo et antecedenter a Deo oblatum, vel ut in actu secundo ad extra exhibitum. Sicut enim prius natura quam voluntas libere operetur, intelligimus illam potentem in actu completo ad operandum, ita prius natura quam Deus cum illa concurrat, intelligendus est Deus paratus ad concurrendum cum illa, et quantum in se est antecedenter offerens suam cooperationem, cum sine illa voluntas nihil possit efficere. Dico ergo voluntati habenti libertatem quoad plures species actuum non offerere Deum antecedenter unicum tantum concursum, sed tot species concursuum, quot sunt species actuum quos voluntas illa circa objectum sibi sufficienter propositum potest elicere. Ratio manifesta est, quia Deus providet unicuique causæ secundæ juxta capacitatem et indigentiam ejus; sed potentia libera, cum sit virtute multiplex in ordine ad varios actus, est capax plurium concursuum divisim, seu disjunctim pro eodem instanti; ergo si unus tantum illi provideretur seu offerretur, non sufficienter esset illi provisum juxta capacitatem ejus, quia cum in effectu ac proxime nihil possit facere sine adjutorio et cooperatione Dei, si unus tantum illi concursus antecedenter provideretur et offerretur absolute, nunquam secundum totam suam indifferentem potestatem, sed tantum secundum alteram ejus partem sineretur operari. Unde etiam fieret ut in re ipsa et in effectu nunquam uteretur sua libertate quoad speciem actus, quia simpliciter solum illum posset efficere ad quem haberet paratum concursum, alios vero simpliciter non posset. Nam quod fieri non potest sine adjutorio alterius, si tale auxilium denegetur antecedenter, id est, si is qui daturus illud est, statuit illud non dare, simpliciter fieri non potest; sed voluntas sola sine adjutorio cooperativo Dei nihil facere potest; ergo si unum tantum adjutorium haberet a Deo oblatum, actum illius facere posset, alios non posset, et consequenter alios non libere omitteret, nec illi posset moraliter imputari; sicut ignis Babilonicus, carens divino concursu, simpliciter non potuit calefacere, neque id potest ei tribui, sed Deo deneganti concursum; necessario

ergo dicendum est voluntati liberæ ad plures actus offerre concursum Deum cum indifferentia, quæ non potest esse in uno et eodem concursu secundum speciem; consistit ergo in varietate concursuum secundum speciem quam Deus ex se offert liberæ voluntati, ut explicatum est.

14. *Divinus concursus in actu primo non est determinatus ad unam speciem respectu causæ liberæ.* — Hinc ergo ulterius dicimus, si sermo sit de concursu in actu primo, seu ut oblato ex parte Dei, non esse determinatum ad unam speciem respectu causæ liberæ, sed habere indifferentiam proportionatam potentiæ cui offertur, ut est complete et proxime libera, cum omnibus aliis ex parte sua vel ex parte objecti prærequisitis ad operandum; ideoque quoad hanc partem non procedere membrum illud tertium, seu rationem in illo fundatam; supponit enim concursum Dei, sic oblatum, esse determinatum ad unam tantum speciem, quod non ita est, ut ostendi. Si vero sit sermo de determinatione quoad tales species concursuum et quoad numerum, licet plures sint, respondemus determinationem fieri quidem per divinam voluntatem, fundari vero aliquo modo in capacitate voluntatis proxime in suo ordine dispositæ ad operandum; nam quia circa tale objectum sic propositum libera est ad talem vel talem actum faciendum in talibus speciebus, et non in pluribus, ideo illius intuitu Deus offert illi tot concursus, et talium specierum. In unaquaque vero specie illorum concursuum et actuum, offert Deus unum numero concursum ad unum tantum individuum actum, quem ipse determinat sua tantum voluntate, quia determinatio individui non potest fundari dicto modo in causa secunda, ut supra declaravi, quod æque procedit in voluntate, quia, licet libertatem habeat ad eligendum inter species actuum, quæ sumuntur ex objectis formalibus a quibus potest voluntas moveri ad operandum, non potest ita eligere inter actus numero distinctos intra eandem speciem, quia illa distinctio sumitur ex objectis materialibus, et ita ex parte eorum non potest cadere sub electionem voluntatis, nec etiam præcognoscuntur in particulari plures actus possibiles numero distincti, ut voluntas possit directe velle unum potius quam alium facere. Determinatio ergo illa fit per voluntatem Dei sine præiudicio libertatis quoad specificacionem, quia non fit cum determinatione ad unum solum actum unius speciei, sed ad plures diversarum specierum, in quibus dicta

libertas voluntatis sufficienter exerceri potest: quoad exercitium vero nulla fit antecedens determinatio ex vi concursus, ut jam dicam.

15. *Divinus concursus in actu secundo determinatur ad speciem et exercitium actus a divina et creata voluntate simul, ex conjunctione utriusque voluntatis.* — Loquendo igitur de concursu in actu secundo, dicendum est illum determinari posse quoad speciem actus, et quoad exercitium, non a sola voluntate divina, sed ex conjunctione illius cum humana voluntate, et ideo propter hanc determinationem non esse necessarium prævium concursum Dei ad extra, et prius natura factum in creata voluntate. Assumptum declaratur, quia voluntas creata est sufficienter in actu primo constituta ad hunc vel illum actum eliciendum, ut ad eligendum in objecto hanc vel illam rationem boni, sub qua in illud tendat appetendo, vel rationem mali, sub qua illud fugiat. Ergo ita Deus illi offert concursum, ut illi integram electionem relinquat, ideoque vult suum concursum ad extra prodire, et accommodari determinate ad juvandam voluntatem, prout ipsa se actualiter inclinaverit; ergo non est necesse ut antecedenter determinetur absolute quoad illam solam speciem in qua dari contingit, sed tantum quasi sub conditione, si voluntas creata in hanc partem potius quam in aliam inclinari voluerit; determinatio ergo illa consummatur (ut sic dicam) in conjunctione utriusque voluntatis, inter quas voluntas creata proxime facit determinationem sui concursus eliciendo actum; increata vero facit eandem cooperando ut causa prima, ex vi antecedentis voluntatis, qua decrevit juvare voluntatem ea specie concursus quæ illi voluntarie cooperanti esset accommodata. Et eadem ratione non est necessarius ille prævius concursus propter determinationem quoad exercitium actus, quia hæc est in manu voluntatis creatæ, si paratum concursum proportionatum habeat, ut habere jam diximus. Et ita cessat omnis necessitas talis prædeterminationis seu prævii concursus in voluntate libera; hæc enim duo idem sunt in illa sententia, ut notavi: cessante autem necessitate, consequenter concluditur talem præmotionem non dari, ut satis declaratum est. Contra hanc vero declarationem potissime procedit ratio octava contrariæ sententiæ cum omnibus confirmationibus suis, quibus in capite 46 commodius satisfaciamus.

CAPUT XLIII.

DOCTRINA SUPERIORIS CAPITIS AUCTORITATE SCRIPTURÆ ET PATRUM CONFIRMATUR.

1. *Duplex genus testimoniorum.* — Duobus modis, ut supra de naturalibus causis dixi, probari potest non dare Deum voluntati nostræ prævium concursum, quo illam prædeterminet physice. Primo, per testimonia negativa, quæ directe et formaliter illam negationem contineant, et hæc probatio ex Scholasticis Doctoribus in cap. 19 data est: ex canonicis autem libris vel antiquioribus Patribus expetenda non est neque expectanda, quia hæc speculatio vel controversia a Patribus antiquis non est tractata. Secundo potest ostendi negatio illa per affirmationes et doctrinas in quibus virtute contineatur, vel per æquipollentia verba, et hoc modo dicimus assertionem, superiori capite ratione probatam, gravissimam auctoritatem, quatenus ex Scriptura et Patribus colligi potest.

2. *Scripturæ quæ homini liberam electionem tribuunt, negant quoque necessitatem prædeterminationis.* — Primo itaque ostendi potest ex illis Scripturæ locis, in quibus dicitur Deus ita creasse hominem sui juris ac liberi arbitrii, ut propositis et cognitis objectis, optionem et electionem illi commiserit, ut est illud Ecclesiast. 15: *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui*; et infra: *Apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrigere manum tuam.* De quo testimonio inter Catholicos, cum quibus nos agimus, controversia non est, quin etiam de homine lapsio intelligatur, ut verba ipsa et totus illius capitis contextus satis aperte docent, et sentit Concilium Senonense in decreto 15 fidei. Sunt item alia innumera Scripturæ loca, in quibus hominibus lapsis optio et electio committitur; Numer. 30: *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat*; Jos. 24: *Optio vobis datur, eligite*; et Matth. 16: *Qui vult venire post me, etc.*; et 1 Corinth. 7: *Quod vult faciat*; et multa sunt similia quæ congerit Augustinus, lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 2 et 3, et alii scribentes pro libertate.

3. *Instantia adversariorum rejicitur.* — Dicit aliquis his testimoniis solum probari libertatem arbitrii cum indifferentia necessitati opposita, quam illi Catholici Doctores non negant. Respondemus, propter hoc dogma fidei quod inde proxime (ut ita dicam) probatur, in

illis verbis a nobis ponderari hanc libertatem in hoc constitui, quod determinatio voluntatis ad unam partem potius quam aliam ipsi voluntati commissa est, tanquam propriæ causæ talis determinationis: hoc enim directe repugnat cum necessitate prædeterminationis ab extrinseco præstandæ. Deinde expendimus immediate fieri transitum a voluntate indifferente ad electionem unius vel alterius partis, quæ electio intrinsece includit determinationem, imo est formalis determinatio libera; ergo non interponitur aliqua prædeterminatio inter voluntatem indifferentem et determinationem ejus; ergo a voluntate sic indifferente in actu primo, immediate fit determinatio in actu secundo: non est ergo necessaria, nec intervenit, aut prævenit determinatio Dei: denique advertimus quod ipsi homini data dicitur potestas se determinandi, et ideo illi determinatio tribuitur. Quid enim aliud significant illa verba: *Reliquit eum in manu consilii sui*? Profecto si præter consilium et iudicium non posset voluntas se determinare, nisi ab alio prædeterminetur, non esset relicta in manu consilii sui, sed in manu ejus qui eam prædeterminare potest. Ut ergo verum sit hominem esse relictum in manu consilii sui, oportet ut immediate hoc sit positum in voluntate ejus, et ideo illi immediate tribuitur determinatio, cum additur: *Ad quod volueris porrigere manum.*

4. *Secunda responsio confutatur.* — Ad hæc vero et similia testimonia respondent alii, convincere illa quidem voluntatem se determinare, cum libere operatur, inde tamen non sequi non prius natura prædeterminari, quia hæc duo non repugnant. Nam cum prædeterminatio non tollat libertatem, adhuc reliquit locum determinationi faciendæ ab ipsa voluntate, media prædeterminatione a Deo recepta, et ita et prædeterminatur a Deo et ipsa se determinat: imo addit P. Alvar., disp. 23, n. 26, ex hoc quod potentia, quæ est domina sui actus, posset sua intrinseca virtute cum generali concursu causæ primæ seipsam determinare, sequi quod indigeat prædeterminatione primæ causæ. Sed hæc responsio non satisfacit prædictis testimoniis, nec secundum rectam rationem potest subsistere. Primum patet ex dictis, nam cum Sapiens dicit: *Apposuit tibi ignem et aquam*, non loquitur de homine jam prædeterminato a Deo, nam illi, ut sic prævento, seu ex vi prædeterminationis, non apponitur nisi vel ignis, vel aqua: ergo loquitur Sapiens de voluntate sufficienter constituta in actu primo, cui objecta sufficienter ad operandum et eli-